Q 767

2.4.42.
12

IN

# OBITUM PRÆCLARI

JESU CHRISTI MINISTRI,

# GULIELMI BATESII,

*THEOLOGIÆ DOCTORIS*

**LONGE CELEBERRIMI.**

ΘΡΗΝΗΤΙΚΟΝ.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

---

Autore *GULIELMO HOGÆO.*

---

*LONDINI*;
Impensis Autoris, MDCXCIX.

2.4.52.
12

IN

# OBITUM PRÆCLARI

JESU CHRISTI MINISTRI,

# GULIELMI BATESII,

*THEOLOGIÆ DOCTORIS*

**LONGE CELEBERRIMI.**

ΘΡΗΝΗΤΙΚΟΝ.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Autore *GULIELMO HOGÆO.*

*LONDINI*;
Impensis Autoris, MDCXCIX.

## Ad pios & fideles Jeſu Chriſti Miniſtros, quibuſcunque titulis & nominibus diſtinguantur.

*VObis, ſervi Domini Noſtri, Jeſu Chriſti, carmen hoc* ΘΡΗΝΗΤΙΚΟΝ *Dedico: Hoc enim carmine laudes celebrantur præclari Miniſtri, omnibus Chriſti Miniſtris dilecti. Epiſcopi, Preſbyteri, & qui Independentes vocantur, omnes illum pari amore vivum complectebantur, pari honore proſquebantur, & nunc pari dolore vita functum Lamentantur. Vir ille tanta cum manſuetudine & morum ſuavitate ſe geſſit erga omnes, ut plebi fuerit cariſſimus, & Proceribus etiam dilectus, Imprimis Illuſtriſſimo Duci Bedfordiæ, & Illuſtriſſimo Comiti Nottingamiæ. Vobis igitur in commune pij Paſtores, magno illi Paſtori & Epiſcopo animarum, Jeſu Chriſto ſuppoſiti, hoc carmen offero, quod boni conſulatis etiam atque etiam oro & obſecro.* Valete.

# *In Obitum Præclari Jeſu Chriſti Miſtri Doctoris* Bateſii.

RUMPE Moras, mea Muſa, pigrum depelle Soporem;
Nunc age Pieriis exorna Funera ſertis
Paſtoris, Domini qui pavit Ovilia Chriſti,
Inque ſalutiferi ducebat Paſcua Verbi.

Heu! Rapiunt mala Fata bonos, pariterque Sceleſtos,
Et parili ſub Nube premunt, merguntque nigranti
Gurgite, perpetuaque tegunt ſub Nocte ſepultos.
Aſpice *Bateſii* exanimum, mutumque Cadaver,
Ecce, jacet; ſed non totum tamen invida Fata
*Bateſium* humanis potuere avellere Regnis.
Ingenii Monumenta tui, clariſſimè Doctor,
Laude Coruſca micant, volitantque per ora Virorum.
Cætera at Harmoniæ tranſcendit Gloria pulchræ,
Inque tuis radiat claro ſplendore Libellis,
Majorique Oculos perſtringit Lumine, ſicut
Candida noctivagis prælucet Cynthia turmis.
Quicquid habet, quodcunque poteſt Regnator Olympi,
Impendiſſe Hominum monſtrat Liber ille Saluti.
Hic ingens Domini Bonitas, & Amoris abyſſus,
Firma Fides, validæ miranda Potentia dextræ;
Hic ingens etiam Sapientia fœdere juncto
Conſpirant, noſtrumque genus de faucibus Orci
Eripiunt, Cœlique locant in Sede beata.
Quis celebrare tuos condigno Carmine mores
Suſtineat, quos Nemo odit, quos tota probavit
Gens Hominum? His ipſos tibi conciliare Inimicos
Tu poteras. Non te pars illa aut illa trahebat,
Vulgus ubi incertum Studia in contraria ſciſſum eſt.
Sed quicunque Deum pura Pietate colebant,
Sub quocunque Polo, quocunque ſub axe jacebant,
Diſtincti innumeris vario ſub Nomine ſectis,
Hos omnes pariter communi amplexus amore es.

Hinc genus omne Hominum pariter tua Funera deſſent,
Te Plebs, te Proceres, te Rex quoque luget ademptum.
Presbyteros inter fueras venerabilis, & qui
In Cathedris reſident nivea ſub Veſte Britannis,
Et quacunque alia diſtinctos Voce Miniſtros.
His pariter tu carus eras, pariterque Dolorem
Vultu & Voce ſuum produnt tua Buſta ſequentes.
Sæva quid inſultas Libitina? En Corporis hujus
Jus quamvis habeas, in Terris Fama ſuperſtes
Vivit, & Ætherei ſacrata Palatia Regni
Umbra beata tenet, ſuperùm ſociata Choræis.

EPITAPHIUM.

*Hoc jacet in Tumulo longis conſumptus ab Annis*
Bateſius, *Patriæ Gloria magna ſuæ.*
*Dejecit Satanam Calamo Linguaque potenti,*
*Mille Animas Stygii traxit ab Ore vadi.*
*Moribus humanus, Vultu veneandus, in omnes*
*Juſtus, & in miſeros Mente benignus erat.*
*Nunc bene tranſactæ ſuper Aurea Sydera Vitæ*
*Præmia Seclorum in Secula tutus habet.*

MVSEVM
BRITAN
NICVM

FINIS.